

A P P R O B A T I O.

Innumera inter encomia, quæ largissimâ manû in DOMINO THOMÆ Doctrinam profundere Pontifices, in præsentiperplacet illud Clementis VI. Ser. I. in testo ejus. *D. Thomas habuit in doctrinâ Veritatem, & evidentiam clariorem. Doctrina D. Thomæ est veritas inspirata. Unde iste sanctus, cum de aliquo dubitabat, ad orationem recurrebat, de eo dicamus illud Joan. 17. Sermo tuus Veritas est. Nec immeritò, cum omnes omninò errores qui fuerunt, sunt, & erunt, solidissimè Doctor Angelicus refellat, & præoccupet. Id observat inter alios Jacobus Florentinus Ord. Minorum Præf. in opus Raynerii de Pisis hisce verbis. Dispositione summi Dei factum esse reor, ut novissimis diebus, cum nulla ferè mirabilium rerum opera coruscarent, hujus viri (S. Thomæ) Doctrina profundissimis, ac validissimis rationibus præmunita claresceret: per quam Ecclesia Erronum Prælia & quondam exorta, & in posterum oritura facilè repellere possit. Quisnam error per illum illicò non est extinctus, aut quis novus fidei oppugnator accessit, in quem non protinus jacula Catholicæ dogmatis sui contulerit?* exhibet id articulatim quoad novissimos errores Eruditissimus Author deductâ serie à Baianis usque ad Quesnellianos, præstanti, ac perutili, temporique accomodâ elucubratione, rectissimè inscriptâ: *Veritas in Medio; seu D. THOMAS DOCTOR ANGELICUS propositiones omnes circa Theoriam, & Praxim, Rigorem, ac Laxitatem versantes à Baianis usque ad Quesnellianos 101. inclusivè per tutissima, & inconcussa, atque ab omni extremo remota dogmata PRÆDAMNANS.* Repræsentat Angelicum Doctorem Thomam prædamnantem errores in *Dogmatica*, errores in *Morali*, errores in *Mystica*, ad fidei splendorem, ad sanæ Doctrinæ puritatem, ad pietatis incrementum. Profert errorum sensum, illorum etiam (quod in votis est) centum & unius Quesnellianorum, nuper per Apostolicæ Sedis Constitutionem, *Unigenitus* damnatorum. Ostendit Angelicam Veritatem erroribus adversam: & materiam totam illustrat. Dignus proindè Liber est, qui publicâ donetur Luce, & ab omnibus legatur. Ita censebam Gandavi 17. Februarii 1715.

F. FRANCISCUS D'ENGHIEN
Ordinis FF. Prædicatorum in Alma Universitate Lovaniensî Sacræ Theologiæ Doctor, quondam ibi Studii Generalis ejusdem Ordinis Regens Primarius.